



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.l.], 1711**

XI. Sodomæ & Sociaru[m] urbium deflagratio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

arsurâ. Exportant, quidquid auri, argenti, vestium, com meatûs in sarcinis efferri possent. Nihil autem preciosius, quàm DEI FAVOREM secum ferebant.

NAR. XI.

S O D O M Æ,  
ET SOCIARUM URBIUM

Deflagratio. Gen. 19. Anno M. 2138. ante  
Christum 3915.

**S**ummus ardor igni, summus foetor est sulphuri; rectè igitur in libidinem ignis, & sulphur in foetidissimos æstus cupidinis grassatur. Ita nimirum justâ Divinæ Nemesis trutinâ supplicium accomodatur peccato. Vallis erat Palæstina (quod indicavimus) juxta Jordanem fluvium, omnium amœnitatum patria. Civitates in ea quinque, quibus nomen commune *Pentapolis*, videl. *Sodoma*, *Gomorrha*, *Sebois*, *Adama*, *Segor*. Incolæ, præsertim Gomorrhæi, Sodomæique mortalium omnium flagitiosissimi. Summa pravitatis hæc erat: Immodicus animorum ex præfenti felicitate tumor, aliorum, præcipuè alienigenarum aspernator: tum ex copia rerum, ingluvies, & commestationes assiduæ, quòdque confectaneum erat, fordium animi cunctarum foecunda nutrix, otium, & ex otio omnium portenta libidinum; usque adeò, ut nec Loti, viri omni virtute cultissimi, Civis sui, quotidianis dehortamentis & exemplis ad vitæ purioris se studia adduci sinerent; & enormia illorum peccata cælum non jam tantùm incessere clamoribus, sed obtundere dici possent, inque

sui pœnam importunâ violentiâ pertrahere. Jam  
 Lotus, trêsq; fugæ comites mœnibus, & omni  
 Sodomorum solô relictis, in campi libertate consti-  
 terant, & in oppidulum quoddam, *Balam* nomine  
 concesserant, quam Hebræi *Ségorem* vocant, quæ  
 vox pusillam sonat. Paulatim interea solis adven-  
 tabat ortus, (nam & tempus nôsse juvat) ac funestæ  
 super Pentapolitas tragœdiæ supremus actus. Sub  
 crepusculum itaque matutinum, Numinis irascen-  
 tis imperiô, vapores excitari, fuliginea cœlum  
 omne facie fuscari. Cùm ecce, Sodomâ plerâque  
 vel in lectis stertente, vel infandæ Veneri indul-  
 gente, sub temporis momentum unum, flare venti,  
 furere turbines ac procellæ, quassari terra, Jorda-  
 nes in fluctus ac fremitus assurgere; cœlo fulgura  
 micare; tonitruis horrendis aër omnis immugire;  
 tenebris plusquam nocturnis universa repente vallis  
 inhorrescere; simul tenebræ frangi, discindique  
 fulminum jactu: cuncta ferientibus, incenditibus-  
 que cœli flammis. Quo tanti mali terrore percussi  
 Pentapolitæ, rapientes alij de stratis corpora, nudi,  
 semitectique discurrunt. Quòd si qui (sanè paucif-  
 simi) jam ad opera fortè diurna surrexissent, in ur-  
 bibus ac pagis tecta repetebant. Qui verò foris in  
 campis, aut agris erant, jumenta, gregesque se-  
 cum ad tutiora reducere properabant. Sed interclu-  
 sit utrisque viam omnem nova nec antehac mortali-  
 bus comperta calamitas. Dictu citiùs, unâ turbi-  
 nes, tontitrua, fulmina, tumultus aëris, terræ-  
 quæ tremor, ac disruptis è nubibus, in nimbos ig-  
 neos cœlum omne resolvi; torrentis & ecnephia  
 more, terrificè rubens flamma, sulphure, nitro,  
 pice,

pice, bulliente sale flagrantique bitumine mixta effundi. Strepit ignium infano stridore cadens supra tecta, turrets, palatia, viarumque strata pluvium incendium: natantque non undis & eluvionibus, sed gehenna quadam stagnante Seddæa vallis, omnes ubique campi, prata, colles, agri, nemora, viridaria; pagi cuncti, quatuor ingentes urbes, Sodomæ, Gomorrha, Sebois, Adama, suis cum suburbiis. Fluitant in ignis immani lacu volucres, pecora, greges, ovium, armenta jumentorum, hominumque sexus, & ætas omnis: & quidquid antè paulo Siddæam vallem libidinibus ambufferat, communibus nunc flammis exurit.

Lotus inter hæc, per commodum *Balami* oppidulum, quod fugæ suæ metam ac diverticulum ab Angelis pactus fuerat, intrare cum comitibus incipiebat. Jamque suburbium tenebant: jam audiri post tergum horrida tempestat, ac Sodomorum incendium tragicum, insanæque brutorum ac incolarum voces, & lugubris in cœlum clamor, ac flammarum, tectorumque ruentium funestus fragor occæperant. Quæ res Lotum, ac suos tantò magis, ut properarent, incendit: partim quia, nisi *Ségoris* in umbilico, securitas illa promissa non fuerat; partim, quod respectandi, consistendique curiosa mora, præceptò fuerat Angelicò discedentibus interdita. Nec immemores illius imperij Lotus, ac filia, cursim petebant, quam sibi destinaverant; *Ségorem*. Quanquam eâ recepti, ne illic quidem fixere stationem; sed in montana latibula pernici sese cursu subdixerunt, veriti, ne *Ségorem* quoque, sicut scelerum, sic & paris exitij societas cum urbibus

bus cæteris inflammatis, tandem involveret. At non æquè vel memor mandati, vel obsequens uxor Loti, tantos ad fragores terræ pariter ac cœli ruentis, sollicitata fœmineo cognoscendi studio, retrospexit: & ut erat reflexa cervice, momento temporis in columnam *salis* versa, fatuæ curiositatis perpetuum stetit, ac sapiens monumentum. Dictum mirum, sed verissimum, ac plurimorum insuper oculis usurpatum, eodem semper vestigiò, quo se circumegit aspectu, defixum mulieris simulacrum, cum brachiis, humeris, capite, totoque reliqui corporis trunco, defluentisque talorum tenuis vestis habitu, post viginti & plurium seculorum circumvolutionem perstitisse. Bissel. in Dec. 1. Ruin. Illust. testibus confirmat. Deus, cujus mundissimus oculus, sceleris etiam reliquias persequens, ipsumque, quod peccatum erat, locum, regionem quondam simillimam paradiso, & vallem, quæ *Illustris* appellabatur, in *Tenebrosam* convertit: cujus nihil quod videre velis, videre queas. Lacus *Asphaltites* (à bitumine sic dictus fumosa nunquam non fuligine ebulliens, nomen *Maris mortui* obtinuit, quod nihil in eo vivum reperiatur. Terra horrido squalore sterilis luget, æstuante nebulæ, ac fumorum intolerabili, ac pestilente mephiti, intermortuò vernantium, & gignentium omni fætu. Poma, solâ coloris futilitate, per orbem celebrata manu vel dente compressa, in favillam, vel pulverulentam nebulam resolvuntur, ut cum vestigio flammæ hæreat etiam memoria pœnæ, & quæ pœnam meruit, culpæ. Ita scilicet libido non nisi meræ infelicitatis affert fœcunditatem, & pœnam suam in ipso infami partu producit.

NAR-